

Ad Laudes

Deus, ✠ in adiutorium meum
intende.

Domine, ad adiuvandum me
festina.

Gloria Patri et Filio et Spiritui
Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc,
et semper, et in secula seculorum.
Amen. Allelúia.

Sola Ant. Ecce tu * pulchra es,
amica mea, ecce tu pulchra; oculi
tui columbarum.

Psalmus 92.

Dominus regnavit, decorem
indutus est * indutus est
Dominus fortitudinem, et
praecinxit se.

Etenim firmavit orbem terrae *
qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc * a
seculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine *
elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos
* a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris *
mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta
sunt nimis * domum tuam decet

sanctitudo, Domine, in longitudine
dierum.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui
Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc
et semper * et in secula seculorum.
Amen.

Psalmus 99.

Jubilate Deo, omnis terra *
servite Domino in laetitia.

Introite in conspectu ejus * in
exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est
Deus * ipse fecit nos et non ipsi
nos.

Populus ejus, et oves pascuae ejus
* introite portas ejus in
confessione, atria ejus in hymnis :
confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam
suavis est Dominus : in aeternum
misericordia ejus * et usque in
generationem et generationem
veritas ejus.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui
Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc
et semper * et in secula seculorum.
Amen.